

gare; id eisdem Regnicolis nostris graciose duximus annuendum et concedendum, vt a modo prefatum Capitulum Boznense ad illud Regnum nostrum Sclauonie ad Instanciam vigore concessionis nostre testimonium mittere, aut aliquas in eo execuciones facere villo vnquam tempore possit et valeat, decernentes: quod omnes littere fassionales eiusdem Capituli cuiuscunque generis existant, pro parte ipsorum Regnicolarum nostrorum emanate nullius sint vigoris, et firmitatis. Immo annuimus et concedimus, atque decernimus harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungarie vtimur, impressiue consignatarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum Bude in Dominica Inuocauit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo. Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno octauo, Bohemie vero vigesimo octauo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 79.

CLXI.

Anno 1498. In Dominica Inuocavit. Budae.

Vladislaus Rex edictum Regni Slavoniae, vi cuius nemini licitum erat, a Rege privilegium novi Telonii sine scitu universitatis Regni Slavoniae impetrare, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fidelibus nostris Magnificis Georgio de Kanysa moderno, futurisque Banis Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie, ipsorumque Vicebanis presentibus et futuris presentes visuris salutem et gratiam. Pro parte et in personis fidelium nostrorum vniuersorum et singulorum Nobilium et aliorum etiam possessionatorum hominum totius Regni nostri Sclauonie Maiestati nostre expositum exstitit in hunc modum: Quod licet alias ipsi Nobiles et tota Communitas concordi et vnanimi voluntate et assensu id inter sese ordinauerint et edicto publico firmauerint, vt nullus omnino ex ipsis sine scitu et expressa voluntate, admissioneque ipsius Vniuersitatis a Maiestate Regia aliquod tributum peteret aut institueret. Quam quidem ordinationem et edictum etiam Serenissimus princeps condam dominus Mathias Rex predecessor noster gloriose memorie firmiter obseruandum mandauerat. Nonnulli tamen essent Magnatum et etiam Nobilium eiusdem Regni, qui contra huiusmodi edictum et publicam vtilitatem, impetratis sibi a Maiestate nostra sinistra ex-